QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS DECIMA SEPTIMA IANVARII MAGISTRO DIONYSIO ALLAIN DOCTORE MEDICO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An facies morum index?

MVNDVS ἄψυχος, eius ad hominem nulla est analogia. Natura rerum omnium; forma est, à qua omnis actio. Materia ποιλακὴς qualitatis expers à quocunque patitur, quidni & corpus à spiritu? Elementa mixtorum materia, mixta viuentium, vegetantia animalium, & priùs sentit homo quàm ratiocinetur. Vegetabilium & animalium actionum author calor vnicus elementari materiæ infixus à propria forma. In corruptibilibus nihil cœleste, in anima rationali nihil elementare. Οὐσιαὶ varietas hominem in diuersa trahit πάθηματα: eo tamen quasi inito pacto, vt alterum alteri consentiat, si actio obeunda alterutri magis congruerit: sic viso formoso vultu amoris in anima accenditur desiderium, qui quò perfectior eò minùs rationis audit imperium; & cœlesti conspecto numine terrena despicimus. Ingens enim vtriusque sympathia, at ingens etiam dissidium: corpus anima vincit, animam corpus imbellis equitis instar violèto secum rapit impetu. Corporis consortio gaudet tamen anima, quo diu non frueretur, nisi corpus rei vtilis, alimenti scilicet, aduentu sustineretur, ad vtiléque, & ex vtili superfluum expellendum, iucundi sensu alliceretur: voluptas actionum animalium motrix in receptione & excretione consistit; receptione vtilis, inutilis exclusione, in eo maior in quo est velocior motus, pars magis sensilis, & magis phantasia inclinans.

IVCVNDVM voluptatis & appetitus obiectum concupiscentiam mouet, quod si quid retardauerit, in authorem moræ, vindictæ, & illius obstacula repellendi nascitur appetitus; ad quod cùm robore opus sit, sanguinis & spirituum, ad cor fit reuocatio, quibus munitum promptiùs ardua quæque aggreditur: hinc ira & audacia, concupiscibilis appetitus auxiliares copiæ, exoriuntur, & θυμοειδεις potentiæ prodeunt effectus. Ira siquidem feruorem sanguinis circa cor commouet, & ignem concipiendi facilitas iram vicissim adauget. Bilioſi, audaces, magnanimi, ὀξύθυμοι, ὀργίλοι, ex concepta potentia de quocunque euentu sperantes: sanguis enim & spiritus tenues ob ἀκρασίαν facilè incenduntur & per corpus dispersi insitum calorem proindeque natiuum robur adaugent. Longe aliter pituitosi & melancholici, illorum si quidem cor frigore languet, cui ideo ob mali præsentiam indigenti, vniuersi corporis partes vitæ periculo ferunt suppetias, sed non pari gratiâ: plerumque enim cor crassorum, & frigidorum humorum & spirituum tantâ copiâ obruitur, vt mors inde sequatur: quod in ira non contigit: Virium itaque diffidentes pituitosi ac melancholici, meticulosi, δειλοὶ, ob spirituum & humorum frigiditatem & crassitiem, sensibus sunt obtusis, & ad scientias inhabiles. Sanguinei in spirituum & humorum caloris & crassitiei mediocritate constituti, ideoque audaciæ & timoris excessu carentes μετριοπάθειαν seruant. Irascibilis facultas θυμοῦ potiùs quàm iucundi appetitum sequitur, concupiscibilis solâ voluptate ducitur.

VOLVPTAS in tactu & gustu excellens, in cæteris sensibus minùs est conspicua. Sensus quò magis terrestres, eò magis ad voluptatem faciunt: Visus igneus, auditus aëreus, olfactus vaporosus, gustus aqueus, tactus terrestris. Fames, sitis, venus ad tactum pertinent. Cibus & potus magis vtiles, venus iucundior. Fames solidi, liquidi sitis appetitus, fames & sitis nutrientium est desiderium: Calidum siccum frigidum humidum ἄδηφα. Copiosum cibum expetunt qui calidi, bilioſi, sanguinei, copiosiorem melancholici, vnde voraces: ex petit ventriculus, non concoquit, non attrahit hepar, inde lienis tumores, inflationes, cruditates, à quibus coloris fœditas, naturalium vt animalium actionum infelicitas, inde libido, quæ non amoris illecebris accensa, ex pruritu quem succi melancholici acrimonia & aciditas excitauit, oboritur. Venus tactus deliciæ, voluptas extùs intus, intus ex vehementi & celeri motu seminis, quod vasa per quæ defertur, titillat, extùs perfricata cute, cui non parum confert partis tepor & caliditas. Vehementiùs & celeriùs mouetur semen, quò copiosius, quò calidiores spiritus. Tactus exactior in cute delicata; hinc sanguinei & bilioſi, & quibus hepar grandius, calidius, quàm pituitosi & melancholici, iuuenes quàm senes, orientales, quam occidentales, quidni & meridionales septentrionalibus in venerem propensiores, & iucundior vere quàm aliâ tempestate, surgente aurorâ, quàm declinante sole.

VT ex apprehensione rei iucundæ amor, ex eiusdem sensu voluptas, sic ex ingratæ perceptione odium, ex sensu dolor nascitur: malum absens metum, verecundiam; presens odium, tristitiam infert. Dolor, tristis est sensus: Tristitia ob alienum bonum meritum, inuidia dicitur, quod si sit immeritum indignatio, ob alienum malum misericordia. Præsentia mali dolorem parit, ἀπορεξία mali rationem habet: sensationis gratæ absentia dolor est, idcirco post coïtum omne animal triste, nullius item rei cogitatio, & solitudo plena solicitudinis. Pituitosi & melancholici humorum & spirituum frigiditate & crassitie ἀπορεκτοι difficiléque in obiectorum feruntur varietatem, vnde stabiles, propositi tenaces, vnde etiam solitarij, tristes, μισάνθρωποι. terra enim & fumida ἀναθυμίασις in cerebrum irruens & sanguis crassior illic appellens, spiritus reddunt turbidos, qui in oculos deducti corpusculorum volitantium speciem referunt, à quibus perterriti, tristantur, metuuntque ne à quocunque malum illis immineat, propterea que ab omnibus diffidentes, metuentes, quoscunque etiam odio prosequuntur.

HVMORVM dominatus non exactiùs quàm in facie dignoscitur. Sanguis florido faciei colore, aut ex rubeo pallescente, amplâ facie, carne molli, amœno vultu, oculis gratiosis, secundum motum benè compositis, pilis ex ruffo albicantibus, naso oblongo cum foraminibus expansis se prodit. Bilis facie macilentâ mediocri, flauâ, fronte quadratâ, vultu austero, iracundo, difficili, oculis depressis, igneis, volubilibus, pilis ruffis, vel etiam nigris, naso adunco cum foraminibus amplis, voce graui. Pituita facie vastâ, carne molliori, albicante, pilis subalbidis, tenuibus, rectis, oculis prominentibus, fixis vixque volubilibus, conniuentibus palpebris, naribus tenuibus, meatuum angustiâ, voce exili. Succus melancholicus pallidâ vel nigricante facie, amplâ, carne spongiosâ, vultu tristi ac moroso, incertis ac errantibus oculis, labiis subtumidis, voce asperâ, tremulâ, pilis nigris, hispidis, copiosius in mento succrescentibus sese patefacit. Quibus in cuiusuis humoris excessus notitiam deductus Medicus iram, audaciam, metum, spem, desperationem: amorem odium: voluptatem, tristitiam, sentientis appetitus motiones, moresque internoscere poterit.

33

Ergo facies morum index.

Propugnabat Lutetiæ GVLIELMVS BELET Parisinus, Anno R. S. H. M.DC.XIX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Gaspar Brayer.
M. Dionysius Allain præs.
M. Lazarus Pena.

M. Iacobus Cousinot.
M. Petrus de Beaurains.
M. Joannes Texier.

M. Richardus Mercets.
M. Simon Bazin.
M. Nicolaus Pietre.